

Deum credentes vera esse, quæ divinitus revelata, et promissa sunt, atque illud in primis justificari impium per gratiam Dei, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. » Quod totum pertinet ad objectum supernaturale. Et præterea constat ad justificationem requiri conversionem ad Deum finem supernaturalem, cum spe salutis, et coronæ, juxta illud ad Hebræos XI: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator est.* Remuneratio autem ista est objectum supernaturale, scilicet visio Dei in se: ergo requiritur ad justificationem cognitio objecti supernaturalis, et actus fidei illud proponens ad regulandum conversionem supernaturalem. Unde non potest suppleri aliquo actu cognitionis naturalis, ut male sentit Vega libro VI de justificatione, capite XVI et XVII.

IX. Dico quarto: Præter actum fidei, qui est dispositio præcedens justificationem ex parte intellectus, requiruntur aliæ dispositiones ex parte voluntatis, et possunt omnes reduci ad duplex caput, seu duplicem modum mutationis. Nam quidam actus sunt motus in peccatum detestando illud; quidam in Deum, vel orando, vel timendo, vel sperando, vel diligendo, aut etiam humiliando se coram Deo, sed non omnes actus sunt eodem modo necessarii. Nam oratio etsi fit remedium convenientissimum ad justificationem, non tamen est specialis et propria dispositio ad illam, sed medium generale ad quæcumque impetranda a Deo, nec solum se tenet ex parte ipsius subjecti justificandi, sed etiam potest se tenere ex parte alterius tertii postulantis pro peccatore convertendo. Humilitas etiam, et misericordia, et similes alii actus virtutum non important formaliter rationem dispositionis, quia nec versantur circa terminum a quo destruendum,

nec circa terminum ad quem, scilicet circa Deum ad quem fit conversio.

X. Ex his autem actibus qui important motum in terminum a quo, et ad quem quidam formalissime pertinent ad rationem dispositionis; quidam solum sunt utiles, ut timor, de quo dicit Tridentinum quod illo utiliter convertitur peccator, nec tamen semper requiritur, quia potest aliquis immediate incipere a perfecta charitate, quæ foras mittit timorem. Aliæ vero dispositiones sunt per se necessariae, et requisitæ, scilicet actus spei, dilectionis, et pœnitentiæ. Spes quidem, quia sine spe veniæ, contritio ipsa non præparat ad justitiam ut dicit Concilium Tridentinum sessione XIV, cap. IV, nec aliquis convenienter movetur ad adipiscendum salutem, et justitiam, nisi speret adipisci. Pœnitentia autem requiritur, quia non abjicitur peccatum a corde, nisi per detestationem, et dolorem de ipso. Unde tamquam necessarium medium ponitur Lucæ XIII: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Denique de dilectione constat: *Quia qui non diligit, manet in morte,* Joan. III: et I Corinth. XIII: *Si charitatem non habuero nihil sum.* Unde qui vult elicere actum contritionis debet quatuor actus elicere quos ponit Tridentinum sessione VI, canone III, scilicet credere, sperare, diligere, et pœnitere sicut oportet.

XI. An vero sicut isti actus per se loquendo requiruntur tamquam necessariae dispositiones, ita necessesse sit quod explicite, et distincte eliciantur, ut homo justificetur, controversia est in materia de pœnitentia, quibusdam asserentibus non sufficere dilectionem Dei solam, nisi etiam adsit formalis actus pœnitentiæ. Alii e contra verius dicunt sufficere actum dilectionis Dei effica-

cem, quia virtualiter continet actum contritionis et spei, qui enim efficaciter diligit, et convertitur ad aliquem terminum, efficaciter recedit ab alio, et non stat quod aliquis diligit, et maneat in morte, potest autem diligere et non formaliter pœnitere, quia sunt actus specie distincti, cum procedant a virtutibus distinctis, scilicet a charitate quæ est virtus theologica, et a pœnitentia quæ virtus theologica non est; vel si procedunt ab eadem virtute saltem sunt actus distincti, et separabiles, sicut de facto possumus diligere, et non pœnitere formaliter, et in Christo, Angelis, et beatis constat dari actum dilectionis sine actu pœnitentiæ, et tamen non stat actus diligendi sine justificatione, quia qui diligit non manet in morte; ergo sine formali pœnitentia, cum formali tamen dilectione datur satisfactio.

XII. Dico quinto: Dilectio, et contritio perfecta sunt veræ, et propriæ dispositiones ad justificationem, et non solum imperfecta contritio, quæ est concupiscentia. Hæc conclusio est contra Vazquez 1-2, quæst. cccxiii, cap. IX, qui ut defendat dilectionem Dei, et contritionem esse formam justificantem, cum Concilium inter dispositiones eas connumeret sessione VI, cap. VI, cogitur exponere Concilium de dilectione, et contritione imperfecta. Sed contra Vazquez militat communis theologorum consensus, ut bene advertit, et refutat Lorea hic disputatione xxxiii, membro primo. Et mihi evidens est loqui Concilium de dilectione, et contritione perfecta, quia loquitur de contritione quam justificatio ipsa consequitur sive cum reali susceptione sacramenti, sive in voto: sed extra realem susceptionem sacramenti justificatio non consequitur ad attritionem et dilectionem imperfectam, sed ad

perfectam, ut de se constat: ergo illam quæ est perfecta numerat Concilium inter dispositiones. Consequentia patet, et major habet duas partes. Prima, quod loquitur Concilium de dispositione quam justificatio ipsa consequitur; hæc constat ex initio capitis septimi; numeravit enim capite sexto omnes dispositiones, et inchoat capite septimo, sic: « Hanc dispositionem justificatio ipsa consequitur; » ergo locutum fuerat Concilium de tali dispositione quod ad illam sequatur justificatio, vel fuit Concilium diminutum, si non numeravit omnes dispositiones quæ requiruntur ut sequatur justificatio. Secunda vero pars est, quod loquatur Concilium de justificatione quæ fit sive cum reali susceptione sacramenti, sive in voto. Et probatur, quia in capite quarto ubi definit justificationem, de qua in toto illo discursu loquitur, inquit illam non contingere post evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto; ergo loquitur de justificatione quæ fit cum voto baptismi.

XIII. Deinde in ipso capite sexto dum numerat dispositiones ad justificationem, ponit inter illas odium aliquod et detestationem peccati, scilicet per eam pœnitentiam quam ante baptismum agi oportet, ac denique dum proponunt suscipere baptismum, et inchoare novam vitam; ergo loquitur de pœnitentia antecedente ad baptismum, et quando baptismus est in solo proposito: ergo si hanc dispositionem de qua loquitur Concilium etiam ante sacramentum justificatio consequitur, non solum loquitur de attritione imperfecta, sed de contritione. Et præterea valde diminute procederet Concilium si solum loqueretur de attritione cum sacramento, non autem de omni dispositione ad justificationem, etiam sine sacramento; minus

enim certum est attritionem solam cum sacramento sufficere ad justificationem, cum sit certa doctrina quam tradit hic Concilium de dispositione quam sequitur justificatio; ergo non debet solum restringi ad dispositionem attritionis imperfectæ, ad quam non est ita certum consequi justificationem, quando est conjuncta cum sacramento. Imo nunquam posset formaliter verificari illud verbum Concilii: « Hanc dispositionem justificatio ipsa consequitur. » Nam si est contritio, non est dispositio quam sequatur justificatio, sed est ipsa forma justificans, et satisfactio perfecta in sententia Vazquez. Si autem est attritio non sequitur ipsam justificatio ex vi dispositionis, sed ex actuali sacramenti susceptione; ergo non verificatur formaliter, et semper, quod illam dispositionem sequitur justificatio, si solum loquitur Concilium de attritione.

XIV. Nec obstat dicere Concilium quod per illam dilectionem, de qua ibi agit, diligitur Deus ut fons justitiæ, et quod per illam incipimus Deum diligere, et quod illa pœnitentia, et detestatio est odium aliquod peccatorum: si enim diligimus Deum ut fontem justitiæ tamquam bonum nostrum diligimus, et ut se nobis communicat, quod est amor concupiscentiæ, et si incipimus diligere, non perfecte, sed initialiter diligimus, et si est odium aliquod peccatorum, non perfectum, sed aliquale, et imperfectum intelligitur.

XV. Cæterum respondetur, quod dilectio Dei ut fontis justitiæ, est dilectio maxime perfecta, et communicabilis, quia attingit fontem justitiæ ut est in se ipso plenitudo justitiæ, et non solum ut communicatur nobis. Et similiter incipimus diligere Deum dilectione perfecta, nam etiam ipsa dilectio perfecta

aliquando debet incipere. Denique odium illud peccati quale sit, statim explicat Concilium dum subdit, quod fit per eam pœnitentiam quam ante baptismum agi oportet, constat autem quod ante baptismum aliquando sufficit pœnitentia, quæ est attritio, si jungatur cum reali susceptione baptismi, aliquando requiritur contritio si sit cum voto suscipiendi baptismum, de utraque autem agit Concilium.

XVI. Dico ultimo: Contritio, et dilectio Dei, perfecta in quantum sunt dispositiones, indigent favore superaddito, et misericordia Dei ad hoc ut homo justificetur; ipsa autem gratia habitualis semel posita in subjecto non indiget alio favore extrinseco superaddito ut justificet, sed formaliter, et intrinsece habet justificare, et procedere a voluntate divina gratuito remittente peccatum tamquam effectus illius. De hac conclusione videantur quæ diximus supra disputatione xxiv et xxv, articulo primo. Et prima pars conclusionis ex eo constat, quia ut probavimus contritio, et dilectio Dei formaliter non justificant, licet dispositive, et effective convertant hominem ad Deum; indigent tamen voluntate misericorditer infundente gratiam, et convertente Deum ad hominem. Itaque dispositiones istæ convertentes nos ad Deum non sunt dispositiones active introducentes gratiam; sed passive disponentes subjectum ut recipiatur ex Deo; sicut diaphaneitas in aere est dispositio ad lucem non introducendam, sed recipiendam. Et similiter conversio corporis ad luminum disponit illud ut suscipiat lucem, sed tamen requirit actionem luminosi illam infundentis, et producentis, et si luminum libere emitteret lucem, requireretur actio liberalis, et gratuita ut diaphanum, vel corpus conversum ad solem illuminaretur.

Sic contritio, et dilectio Dei convertunt hominem ad Deum, sed non sufficiunt illuminare ipsum, et justificare nisi Deus tamquam luminum liberum gratuita, et liberali actione se convertat ad hominem, et ipsum illuminet infundendo gratiam; et iste est favor et misericordia superaddita contritioni, quia contritio nec physice producit gratiam, nec moraliter meretur.

XVII. Et ex hoc patet secunda pars conclusionis, quia gratia ipsa est effectus proveniens ex voluntate Dei remittente offensam, et convertente se ad nos; cum autem hæc voluntas sit sufficiens ad remittendum peccatum effective, et reddendum hominem gratum, similiter effectus proprius, et adæquatus talis voluntatis erit sufficiens ad remittendum peccatum, et justificandum formaliter, et intrinsece, unde non requirit aliam voluntatem Dei, et favorem extrinsecum ad justificandum hominem, alioquin non reddetur homo justus formaliter, et complete per intrinsecam justitiam nobis in hærentem, ut definit Concilium, sed per extrinsecum favorem completentem illam justitiam.

ARTICULUS II.

Utrum ultima dispositio ad gratiam procedat effective a gratia habituali?

I. Multum est quot, quantaque ingenia hæc torserit difficultas, tum in se ipsa, tum in explicanda mente D. Thomæ in articulo octavo hujus quæstionis. Loquimur autem hic solum de ultima dispositione, quia aliæ præter ultimam non sunt perse, et inseparabiliter conjunctæ cum ipsa forma: unde non currit difficultas an procedant ab ipsa efficienter, cum ita præcedant ipsam gra-

tiam, quod etiam sine ipsa stare possunt, ultima autem dispositio, quia inseparabiliter est conjuncta cum ipsa forma introducenda, et ab illa perficitur et formatur, difficultas est an procedat ab illa in genere causæ efficientis, tamquam effectus, seu propria passio ejus. In hac ergo parte est duplex sententia principalis, quæ deinceps in varios modos explicandi se diffundit. Prima simpliciter affirmat ultimam dispositionem procedere effective a gratia habituali: secunda negat procedere ab ipsa effective, sed ab auxilio divino. Utriusque sententiæ possunt afferri fundamenta, et philosophica, et theologica.

II. Fundamentum philosophicum secundæ sententiæ est, quia dispositio ad formam antecedit formam, et est causa illius in genere dispositionis: ergo non potest esse effectus formæ introductæ in genere causæ efficientis. Consequentia probatur, quia ut sit effectus formæ in genere causæ efficientis debet supponere formam existere in actu, et non extra subjectum: ergo in subjecto, et consequenter procedit a forma jam introducta et recepta; atque adeo non est dispositio serviens ad introducendam formam.

III. Ex eodem autem principio submit fundamentum philosophicum prima sententiæ, quia dispositio licet sit causa formæ in genere quasi materiali, tamen in alio potest esse effectus illius, quia causæ sunt sibi invicem causæ, et se habent ut prius et posterius secundum diversas dependentias, et instantia naturæ; ergo licet dispositio antecedit formam in genere causæ materialis, in genere tamen efficientis subsequitur ipsam formam, et est causata, et dependens ab illis.

IV. Declaratur amplius, quia infusio gratiæ ut dicit S. Thomas hic articulo octavo præcedit ipsum mo-